

Propositio 132.

Ex lege naturali manent semper servo sua jura essentialia personalia, et hero correspondentia officia erga servum.

Prob. Herus habet dominium in labores solum, non in personam ipsam servi; *a.* personam sequuntur jura naturalia personalia servi, quibus correspondent officia in omnibus aliis, etiam in hero; *e.*

Coroll. 1^m Ergo tenetur servus dominum revereri, et ad ejus placitum suam operam fideliter implere.

Coroll. 2^m Ergo tenetur dominus: servo necessaria vitae suppeditare, nutritione, tecto, moderatione laborum, cura in morbo vel senio; nec potest eum contumelia afficere, mutilare, occidere, gravibus poenis affligere; potest tamen ad emendationem aliquando increpare et punire.

Coroll. 3^m Tenetur dominus invigilare educationi servorum, instructioni necessariorum, moralitati, nec potest impedire servum ab officiis religionis, vel aliquid inhonesti praecipere.

Coroll. 4^m Tenetur herus pacta cum servo inita servare.

Coroll. 5^m Tenetur herus servis libertatem dare matrimonii vel ineundi vel non ineundi, nam plurimis hoc est medium ad finem ultimum necessarium ob continentiae moralem impossibilitatem; aliis vero ex speciali vocatione Dei virginitas colenda erit ad majorem perfectionem. Nec potest herus servos conjuges separare, nisi id ipse servus turbatione ordinis necesse faciat; nec potest pueros, praesertim parvos, a parentibus separare.

Coroll. 6^m Ergo auctoritatis civilis erit servorum jura tueri.

Coroll. 7^m Ergo inter herum et servum, etiam perpetuae et perfectae servitutis, intercedit vera aliqua incompleta societas utilitatis inaequalis, in qua servus operam suam praestat, herus ex suis opibus eum sustentatione remunerat.

Propositio 133.

Tituli legitimae servitutis esse possunt: voluntaria traditio, emptio, donatio, jus belli, juridica condemnatio, nativitas.

Stat. quaest. Hos omnes titulos non aequaliter per se legitimos esse dicimus, sed varie, alios etiam per accidens tantum, debitis conditionibus et restrictionibus, prout in argumentis dicetur.

Prob. 1^a pars (voluntaria traditio). De suorum quisque laborum utilitate et directione libere disponere potest; *a.* ex hac libertate potest eas etiam alii per contractum, sive gratuitum, sive onerosum tradere, potestque illa traditio acceptari; *e.*

Ad min. Accidere potest ut ipsa servitus sit externa libertate optabilior, v. c. ob inopiam, incapacitatem, etc.

Prob. 2^a pars (emptio et donatio). Labores servi sunt pretio aestimabiles, et verum jus habet herus legitimus de iis in suam utilitatem disponendi,

quantum nullum praecedens pactum contrarium obstat (v. c. in prima traditione servi); — *a.* hoc jus potest in alium transferre, sive pro pretio aequivalente, sive per donationem gratuitam; *e.*

Prob. 3^a pars (jus belli). Justum et licitum non erit bellum, ac proinde bellicae operationes, nisi in quantum ad jura societatis civilis defendenda necessarium; — *a.* fit quidem ordinario nostris temporibus ut sufficiens sit haec defensio fractis viribus hostilibus, sine posteriore captivorum reductione in servitutum; sed fieri etiam potest ut haec sit necessaria: ob nimiam hostium perfidiam non aliter a futuris injuriis abstenturam, vel ob eorum nimis atrocia flagitia in quorum poenam servitus digne rependatur; — *e.* per se non est legitimus ille titulus, sed per accidens esse justus potest.

Prob. 4^a pars (juridica condemnatio). Sicut libertate sua malefactor privari juste potest a iudice ut in carcere includatur, ita etiam ut laboret in utilitatem, sive publicam societatis quam facinore laesit, quae illi nunc in carcere victum et tectum dare debet, sive privatam alicujus civis quem laesit, vel cui aes alienum reddere impar est; dummodo in his servetur proportio inter poenam et delictum, *e.*

Prob. 5^a pars (nativitas). Proles quae ex serva nascitur: 1) ipso facto est in societatem domesticam ingressa, in qua herus auctoritatem habet; — 2) projici vel occidi non potest, sed nutrienda et educanda est sumptibus heri; — 3) diu et multis modis impedit matris laborem, in quem herus dominium habet; — *a.* ita 1) teneri potest ad compensanda damna hero illa, quae jam ipsa mater compensare nequit; — 2) nisi hoc jus heri agnoscitur, is ex natura rei adducitur ad violanda jura servorum, matrimonia impediendo, vel jura infantum, eos occidendo vel projiciendo; — 3) compensationem aliam filius hero offerendam non habet, nisi ut pro eo tanquam servus laboret, non quidem necessario per totam vitam, sed saltem per aliquantum tempus (determinandum v. c. per legem civilem); *e.*

Objic. 1^o Puniri pro maleficis innocentes non possunt; *a.* in bello captivi ordinario innocentes sunt (scilicet mulieres et infantes, gregarii milites ad militiam saepe coacti, vel bellandi causarum ignari); *e.* — *R. d. maj.* per se, *c.* per accidens, ad frangendas malefactorum vires, ad reprimendam perfidiam par pari referendo, etc. *sd.* puniri non possunt innocentes qui cum malefactoribus nullo modo cohaerent, *tr.* qui cum illis unum corpus sociale efficiunt, quod proinde in eorum persona attingitur, *n.*

Objic. 2^o Nullus homo potest esse natura sua servus; *a.* ita esset si vi nativitatis esset servus; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (servus est non natura, sed per circumstantias licet non liberus).

Objic. 3^o Non possunt parentes prolem vendere vel tradere in servitutum, neque eam sibi in servitutum redigere (quibus tamen omnia debet proles); *e.* a pari herus... — *R. c. ant.* — *n. par.* (parentes nullum dominium habent in opera prolis, ad suum commodum, sed solum officium et correspondens jus in eadem opera ad educationem et bonum prolis).

Objic. 4° Saltem potestatis civilis non est determinare tempus servitutis prolis, nam ipsa neminem in servitum redigere potest. — R. *n. ant.*, — *ad rat. add. d.* non potest uni tradere jus in alterum, *c;* jus praeexistens, sed minus definitum, declarare quale et quantum sit, *n.*

Objic. 5° Herus habet officia stricta juribus servae correspondentia, scilicet ne matrimonium impediatur, nec prolium inde nascentium conservationem et educationem; *a.* ita nullam compensationem exigere poterit (pro iis quae ipse praestare tenetur); *e.* — R. *c. maj.* — *n. min.* et *n. supp.* (quidquid ex officio sit debitum, esse ipso facto gratuito praestandum; nam cum superiore officio jus inferius colliditur, et suspenditur non totaliter sed solum in quantum est inconciliabile cum officio, at quoad reliqua illi satisfaciendum est).

Propositio 134.

Optimo jure prohibetur commercium Nigritarum, et ex voto naturae ipsa servitus gradatim aboletur.

Prob. 1^a pars (*commercium Nigritarum*). Inhumanum et immorale est commercium quod natura sua: 1) connexas habet innumeras fraudes et injustitias mercatorum et Afrorum, 2) continua et atrocia bella gentibus et tribubus Afrorum inducit, 3) servitum legalem semper magis extendit; — *a.* haec, teste experientia, de commercio Nigritarum valent, qui miseri vel emuntur in Africa, vel per vim et fraudem abducuntur, ut aliis in regionibus in servitum vendantur; *e.*

Ad min. Hoc commercio olim plurimi Nigritae in Americas ferebantur, hodie vix; sed multi adhuc ex Africa in Asiam, ad Turcas et Persas.

Prob. 2^a pars (*gradatim, ex naturae voto*). Etsi servitus mercenaria perfecta legi naturali per se non repugnat, tamen ob humanam dominorum corruptam naturam, vix fieri potest ut in societate ubi servitus est permanens institutio, non brevi invalescat opinio illos homines esse natura sua servos, omni jure et benevolentia et dignitate spoliatos, ac proinde assuescant homines vim potius quam jus revereri; — *a.* 1) ubi tantum immoralitatis periculum, etiam per accidens, constanter imminet, votum naturae, seu inclinatio naturalis ad bonum honestum, postulat ut aboletur haec institutio; — 2) non tamen possibile est eam abrupte totaliter tolli, quin simul et dominorum multa jura certa laedantur, et ipsis mancipiis, ita liberatis, ac omni ope et vitae ordinandae prudentiae destitutis, certa et gravior miseria inferatur; *e.*

QUAESTIO 4.

De patrono et operario.

Propositio 135.

Absurda est et legi naturali repugnans conceptio moderna relationum inter patronum et operarios.

Stat. quaest. 1) Ex notionibus ad propositionem 130 superius datis patet quid sit patronus et operarius, ac proinde ad eos applicari debere omnia quae supra de servo in genere dicta sunt. — Sed nunc magis determinate sermo est de ultima illa specie, operariorum scilicet.

2) Operarii hodie distingui possunt opifices, in officinis praesertim centeni saepe, imo milleni congregati; et villici agrarii seu coloni, in patronorum fundis et praediis habitantes et agros colentes, sive conducto pretio villas tenentes, sive pro patronis, partim saltem, laborantes. — De utrisque aliqua proportione intelligenda sunt quae in hisce propositionibus diceantur; magis tamen explicite ad operarios opifices attendimus.

3) Inter patronum et operarios relationes et contractus existere est factum evidens; sed quales istae relationes sint vel esse debeant, disputamus. — Recentiores post Gallicam perturbationem eas concipiunt merum contractum esse, quo a) singulae personae cum patrono contrahant, de aliis personis (uxore, filiis...) nihil paciscentes, — b) unicum finem intendant: opus plurimum minima mercede extorquere, et vicissim opus minimum maxima mercede praestare; vel plurimum lucri ex minimo agri tollere, et vicissim minimum pretii ob plurimum agri conducendi rependere, — c) aliud nihil utriusque intendant. — Quam saepe moderni oeconomistae aestimationem expriment: operarios patrono non esse nisi productionis machinam.

Prob. Absurdum est et legi naturali repugnans, id quod natura sua ducit: 1) ad injustitiam et oppressionem pauperum proletariorum, — 2) ad odia et diffidentiam inter homines in consortio humano viventes. — 3) ad vim et tumultus proletariorum contra divites, — 4) ad neglectum et perditionem educationis pueris necessariae, — 5) ad dissolutionem familiae plebeiae, — 6) ad totius societatis humanae ruinam; — *a.* ad haec teste experientia ducit natura sua conceptus modernus relationum inter patronum et operarios; *e.*

Prob. min. 1 part. (ad injustitiam et oppressionem). Ista conceptio natura sua patronos impellit ut omni modo operariis imponant majorem operam, mercedem vero minuant, talesque contractus eis faciant necessario admittendos; proletarii autem fame pressi, etsi initio resistent, mox tamen adire debent contractus quibus supra modum laborare ad vitam sustentandam debeant; — *a.* ita opprimuntur pauperes, idque praeter omnem justitiam; *e.*

Prob. 2 part. (ad odia et diffidentiam). Ubi operarii necessitate pressi adi-

guntur, ac simul vident divites patronos soli proprio lucro intentos, ipsi jam sibi etiam dolo providere incipiunt; — *a.* ita mutuae patronorum et operariorum perpetuae oriuntur suspiciones, diffidentia, atque odia; idque ex natura rei producitur; *e.*

Prob. 3 part. (ad vim et tumultus). Si operarii suis tandem necessitatibus subvenire non possunt, videntque patronos et divites luxu abundantes, jam non murmurare solum sed et coalitione et conspiratione bona sibi necessaria tollere, mercedem majorem obtinere, operae imminutionem statuere conantur, ac per vim, minas, tumultus, patronis imponere; — *a.* ad haec omnia ex natura rei impelluntur; *e.*

Prob. 4 part. (ad neglectum educationis). Ad sufficientem educationem puerorum longum requiritur tempus, multae curae, aliquod parentum otium, vel saltem scholae et conservatoria secure; — *a.* ubi paterfamilias vix sibi soli sufficientem mercedem accipit, debet et materfamilias pariter in officinis laborando se sustentare, et puer ipse quantocius aliquid lucrari adactus, cetera negligens, nihil addiscens nec satis formatus, jam labores sive duriores sive diuturniores suscipere; atque ita neque a parentibus neque in aptis scholis educari potest, sed rudis ac mox perditus moribus adulescere; et haec omnia ex natura rei; *e.*

Prob. 5 part. (ad dissolutionem familiae). Ubi tanta singulorum in familia separatio ac mutua incuria, ibi mox perire debet mutuus amor et fiducia atque aestimatio; ac proinde facillime ad novos illicitos amores transibunt, difficillime domestica societate sua contenti erunt, nulla pax, prosperitas nulla; — *a.* haec omnia iterum ex ipsa natura rei sequi debent; *e.*

Prob. 6 part. (ad totius societatis ruinam). Ex illa egoistica singulorum cura, apud divites luxus inutilis, duritia cordis, caritas nulla, corruptio plurima, et mox fortunae imminutio, fraudes ac violentiae ad eam restaurandam; — apud proletarios perpetuum odium, et vindictae ac rapinae desiderium, donec occasione data in direptionem vel imo in caedes erumpere possint; — *a.* ita necessario ad ruinam adigitur tota societas, omni vinculo sociali relaxato; *e.*

Coroll. 1^m Quoties in aliqua gente tales ordinis turbationes existunt, mox omnia perverti necesse est, ac dicitur existere male soluta *quaestio socialis*. Haec autem si magis inter patronos et operarios opifices officinarios existit, dicitur saepe *quaestio operaria*; si potius inter patronos et colonos villicos, dicitur *quaestio agraria*.

Coroll. 2^m Quaestionis socialis, qualis nunc existit, aliae etiam causae sunt, quae praecipuam in propositione indicatam multum juverunt: 1) dissolutio antiquarum *corporationum*, qua factum est ut sibi quisque solus derelictus fuerit, praetextu nempe libertatis et aequalitatis inter omnes; — 2) inventio et multiplicatio magnarum *machinarum athmodynamicarum*, qua factum est ut non jam possent operarii domi inter suos pacifice laborare, sed debeant in magnis officinis conjuncti plurimi laborare; — 3) *effrenae*

potentiorum *speculationes*: ut quam plurima producant, eaque quam minimo pretio, utque in re nummularia, cambio, emptione, venditione, fictionibus forensibus et lusibus, capitalia sua quam celerrime augeant;—quibus factum est ut minores mercatores et opifices atque agricolae, nonnisi magna difficultate tantam concurrentiam sustinentes, aegre sibi subveniant, vel imo saepe in statum operariorum decidunt; — 4) *leges civiles liberalismo* eodem imbutae quo ipse communis modernus conceptus relationum inter operarios et patronum; unde factum est ut praetextu libertatis et aequalitatis omnium, jura praedicentur, officia ignorentur, in conflictu jurium, non jus fortius sed jus fortioris praevalere soleat, jus et justitia socialis vix alio criterio aestimetur quam opinantium numero majoritatis; — 5) male ordinata *successio hereditaria*, per divisionem fundorum in particulas usque minores et iasufficientes; — 6) *militarismus exaggeratus*, juvenes plurimos a labore avertens et saepe moraliter corrumpens.

Propositio 136.

Inutilia et perniciosa sunt quaestionis hujus socialis remedia quae a recentioribus liberalismi sectatoribus proponuntur.

Stat. quaest. 1) Turbationi morali et mutuae hostilitati inter homines, ac fortunarum instabilitati, quae quaestio socialis dicitur, remedia varia varii undique conquirunt.

2) Liberales radicaliores, *socialistae*, proponunt: a) distributionem lucri inter patronum et operarios, ita ut inter eos sit societas aequalis; — quod iterum varie explicant: sive ut divisio aequalis sit totius lucri inter eos, — sive ut divisio fiat pro rata parte laboris et capitalis praestiti ad lucrum faciendum, — sive ut operariis sit fixa aliqua merces certa, et insuper aliqua pars lucri varia pro majore minoreve lucro; — talem distributionem saepe vocant *systema cooperativum*;

b) patronatum status, seu auctoritatis civilis, ita ut ista sit vel solus vel saltem supremus operariorum patronus, et quidem cum obligatione efficiendi ut operariis semper certa sit merces, semper certus labor proponatur, nunquam otiosi dimittantur; — talem auctoritatis publicae obligationem saepe vocant operariorum *jus ad laborem*.

3) Liberales mitiores, *conservatores*, et aliqui etiam catholici proponunt interventum auctoritatis civilis, ita ut a) luca patronorum inspiciat et mercedem operariorum determinet, vel imo etiam aliquam partem ratam lucri (aliquam *cooperationem*) praescribat et curet; — b) vel ut varias relationes protectionesque patronorum erga operarios organiset, retineat, regatque per suos publicos officiales; — c) vel ut distribuat *eleemosynam legalem*, ita ut ex publicis vectigalibus debeat aliqua pars in eleemosynas pauperibus deputari; porro nonnulli ad hoc volunt erogari *vectigalia progressiva*.

4) Liberales multi *scientifici* seu *providi*, praeter alia praecedentia remedia,

proponunt etiam *leges malthusianas* ad minuendas familiarum inopum propagationes, nativitatem prolium impediendo.

5) Post ea quae supra (propos. 97) jam probata sunt, ea non amplius refutare quae a socialistis proponuntur remedia debemus; non enim potest naturalem pacem et prosperitatem procurare illud quod est in se legi naturali contrarium. — Nec refellendae sunt leges malthusianae post propos. 121 coroll. et 128 coroll. — Sed contra liberales conservatores dicimus inutile et perniciosum esse ut auctoritati civili tribuatur officium haec remedia applicandi.

6) Concedimus ab auctoritate civili legibus et protectione promovendum efficaciter esse ordinem relationum inter patronos et operarios, sed negamus eam immixtione effectiva debere istas relationes gerere, vel posse in illa immixtione remedium quod quaeritur inveniri.

Prob. 1^a pars (inutilia). Quaeri debet pax animorum, et amor ac fiducia mutua inter varios hominum ordines, prosperitas relativa omnium, et stabilitas fortunarum; *a.* ad haec non juvant media a liberalibus proposita; *e.*

Prob. min. Omnia, etiam optima, sed minutiora quae ab auctoritatis civilis officialibus perficiuntur, 1) fiunt nomine legis et quasi ab impersonali aliquo agente, — 2) fiunt secundum legem, ac proinde ex obligatione, non ex benevolentia, — 3) fiunt uniformiter erga omnes, ac nulla ratione habita concretarum differentiarum inter singulos, ac proinde saepe minus prudenter et minus juste, — 4) fiunt ab officialibus qui et ipsi sua quaerunt, ac proinde multis fraudibus et personarum acceptione, lucro proprio, a recta via abducuntur, — 5) vel si praecaveri illae fraudes velint, multiplicibus ac difficilibus formalitatibus et complicationibus scribarum opus erit; — *a.* ex natura rei, et teste experientia, pro talibus beneficiis acceptis nullus est apud pauperes gratus animus, sed potius murmura et querelae omnimodae, et diffidentia atque exigentiae semper majores in res quas sibi debitas aegre patiuntur cum dilationibus et prudenti calculo frigide sibi dari; — *e.* mala non curantur sed potius exacerbantur, quum praesertim ad aequalitatem cum patronis et divitiibus operarii perducere tamen non possint.

Prob. 2^a pars (perniciosa). Perniciosum est quicquid ad socialismum natura sua ducit, et ad centralisationem inutilem; *a.* talia sunt remedia proposita; *e.*

Prob. min. 1 part. (socialismum). Ad socialismum natura sua tendit quicquid, jus privatae proprietatis infringendo, conatur aequalitatem hominum inducere, bona etiam privata publica auctoritate regere; *a.* ita fiet quoties per publicos officiales, auctoritate publica, minutioribus etiam relationibus inter patronos et operarios providebitur; *e.*

Prob. min. 2 part. (ad centralisationem inutilem). Ut tam particulares relationes effective et minutatim regantur, multum augenda essent officialium numerus et formalitatum complicationes, omniaque per uniformem legem ordinanda, sub una centrali auctoritatis civilis impulsione; — *a.* haec erit centralisatio vera, et tamen inutilis (cfr. supra, prob. 1^{ae} partis); *e.*

Propositio 137.

Ex lege naturali inter patronos et operarios societas inaequalis existere debet, qua simul ad vitae sustentationem et commoda proportionata, debitaque vivendi libertatem et pacem tendant.

Stat. quaest. 1) Quaestionis socialis remedium proponunt catholici auctores passim, ac praecipue illi qui sibi nomen scholae pacis socialis assumpserunt, duce Le Play.

2) *Societatem* proponunt, non illam socialistarum: associationem cooperativam, societatem aequalem; sed vinculum aliquod sociale, quo patronos quidem operariis superior sit et maneat; iis tamen non tanquam meris instrumentis ad productionem utatur, sed iis benevolus provideat, eos adjuvet patrocinio suo ad varias necessitates variaque officia eorum; ac proinde non unice proprio lucro intentus sed simul bono inferiorum; — operarii autem sorte sua et conditione contenti, non ad altiores ordines per fas et nefas ascendere, non aliena bona rapere cupiant, sed propriis juribus uti, propria officia adimplere intra suam familiam contendant, fideliter labore suo patronis satisfacere satagant.

3) Talem societatem et pacem mutuam olim practice possidebant patres nostri in corporationibus suis, societatibus scilicet patronorum, operariorum et tironum, domesticae seu privatae, potius quam civiles; quae si quos abusus retinebant, si novis adjunctis non satis aptatae videri poterant, reformandae erant, destruendae non erant.

Prob. Inter patronos et operarios non solus contractus productionis et mercedis, sensu moderno, existere potest, sed praeterea vi legis naturalis sunt utrisque sua respectiva jura et officia, ad bonum et pacem utrorumque spectantia; — *a.* ita existet inter eos societas illa quam proponimus; *e.*

Ad maj. 1^o (ex parte patrōnorum). 1) Patronis non licitus est, circa possessionem honorum materialium, individualismus exaggeratus (cfr. prop. 101), quo omnia sua exclusive ad suam propriam utilitatem et jucunditatem dirigant, — 2) neque eis licet officia caritatis universalis negligere (cfr. prop. 82); — *e.* ex lege naturali nequeunt tales contractus exclusivos inire, sed semper subauditur voluntas officiis suis, aliorum juribus satisfaciendi.

2^o (ex parte operariorum). 1) Operariis non quidem licitum est quicquid socialismum, communismum, vel injustitiam quamlibet saperet; — sed 2) operarii sunt patresfamilias, ac proinde curare debent familiarum suarum sustentationem, puerorum conservationem et educationem congruam; — 3) operariorum feminae curas domesticas negligere non possunt, maternitatis officiis detinentur; — 4) operariorum filii, ante sufficienter adultam aetatem, non nisi maximo sanitatis ac vitae damno, educationis detrimento, societatis totius pernicie, ad multas horas quotidiani laboris adigi possunt; — 5) operarii, sicut omnes homines, ad finem ultimum tendere tenentur, ac proinde superioribus et spiritualibus eos vacare nonnunquam posse oportet.

tet; — 6) operarii aliquando morbo, infirmitate, senio confecti, a labore detinentur, nec tamen ideo fame perimendi sunt; — *e.* ex lege naturali nequeunt talem contractum exclusivum inire, sed semper adest voluntas et jus suis officiis fungendi et media ad id comparandi, nec nisi vi et contra jus ab his arcentur et impediuntur.

Ad min. Istis officiis si utrinque attendatur, ipso facto non hostilis sed amica omnium conspiratio erit in finem communem, pacem et proportionatam cujusque secundum suam conditionem prosperitatem; — non quidem erunt subito crescentes in immensum fortunae aliquorum, sed nec subitae tantae ruinae, tantique plurimorum dolores et odia.

Coroll. 1^m Ergo quum proletarii soleant imprudentiores esse, patronorum est operarios consilio, directione, protectione adjuvare: 1) ut sibi utilia quoad victum, vestitum, habitationem, sana et commoda procurent; — 2) ut inutilem vel noxium luxum vitent, bona sua vane ne consumant; — 3) ut provida parsimonia in futurum sibi et familiae aliquid seponant; — 4) ut pueros educatione congrua donent. — Quae si patroni fecerint, sibi etiam ipsis utilem impendent operam, qua socialismi et tumultuum tollantur causae.

Coroll. 2^m Ergo patronorum est: 1) ab operariis non nimium laborem supra vires, vel nimis diuturnum laborandi quotidianum tempus exigere, — 2) feminas parum nec nisi ad faciliora adhibere, et quantum fieri potest ita ut potius domi laborent, — 3) pueros non ante satis adultam aetatem et sufficientem educationem ad laborem, praesertim in magnis officinis communibus, adire, — 4) mercedem operariis sufficientem dare, qua patres familias alere possint quin durius feminae et pueri laborare teneantur, — 5) non subito ob lucri aliquam crisin et mutationem otiosos dimittere, quo fiat ut, etiam dum laborent, continua diffidentia et inquietudine agitentur, — 6) assecurationem aliquem procurare operariis contra morbos, infirmitates, senium.

Coroll. 3^m Patronos ad hoc suum officium implendum ipsa *caritas* (christiana praesertim) et lex naturalis impellere et dirigere deberet. At quum haec in nostrae naturae malitia non sufficiat, *corporationum* id munus naturale est, quae pro variis hominum et locorum concretis adjunctis, concreta media practica optime eligere et applicare possunt. Atque hoc in bene ordinata societate sufficit. In nostris vero societatibus modernis, deficiente naturali illo organo, auctoritatis civilis munus est ut illud quantum necesse est suppleat, cavendo tamen ab omni immediata immixtione et a centralisatione. Quod quum vix fieri possit, optandum videtur, et a plurimis passim optatur, ut corporationes instaurentur. Ipsa autem haec corporationum institutio et conservatio non privatis aliquorum viribus effici potest, sed publici legislatoris voluntate promoveri debet.

Coroll. 4^m Ergo ad sanandam socialismi plagam hodiernam, et socialem quaestionem solvendam, utiles quidem sunt associationes bonae *operariorum inter se*; at minime hae sufficiunt, sed debent *inter patronos et operarios* confraternitatis vincula stringi qualia in veris corporationibus olim existebant.

CAPUT III.

DE SOCIETATE CIVILI.

Altera haec societas humana explicanda nunc est; circa quam tota investigatio ad quatuor istas quaestiones reduci posse videtur, ut quae hujus societatis, quae ejusdem supremae auctoritatis sit natura, qualis in ea sit desideranda ordinatio, quae variae constitutiones esse possint. Unde sint:

Quaestio 1. De natura societatis civilis.

Quaestio 2. De natura auctoritatis supremae civilis.

Quaestio 3. De ordinatione societatis civilis.

Quaestio 4. De variis constitutionibus societatis civilis.

QUAESTIO 1.

De natura societatis civilis.

Naturam istam non melius exponemus quam si de societatis origine, fine essentiali, intima structura dixerimus.

Articulus 1. De origine societatis civilis.

Articulus 2. De ejus fine.

Articulus 3. De ejus intima structura.

ARTICULUS 1.

De origine societatis civilis.

Propositio 138.

Societas civilis est homini naturalis.

Stat. quaest. 1) *Societas civilis* intelligantur coetus illi quibus multae inter se familiae copulantur ad procurandum bonum commune praesentis vitae universale, et qui constituunt illas associationes quas vocant civitates, respublicas, regna, imperia.

2) Post ea quae in propositione 117 dicta sunt contra Rousseau et Hobbes, de sociabilitate naturali humana in genere, jam alia nunc quaestio particularis manet, utrum societas civilis una ex illis sit ad quas homo natura sua inducitur; eoque sensu eam dicimus esse naturalem.

Prob. Naturalis homini status ille est in quo 1) melius consulitur tum explendis singulorum necessitatibus naturalibus, tum juribus a malevolorum injuria tuendis, — 2) facilius et plenius procuratur perfectio naturalis et evolutio facultatum, — 3) perfectius satisfit benevolentiae mutuae hominibus innatae; — *a.* talis est status in societate civili; *e.*

Ad maj. Omnis natura inclinatur ad id quod subjecto bonum est.